

mera et abbreviatorum de majori et nonnullorum aliorum venditione paratur materia ut justitia venalis fiat, idcirco dicta officia minime vendantur, sed gratis dentur personis litteratis. Et quod auditor camere et gubernator astringantur ad syndicatum.

+ Quod penitentiarii et referendarii reducantur ad honestum numerum et tam ipsis quam etiam dominis de Rota quotannis assignentur certi redditus, qui absque conscientie lesione et sine patrimonii diminutione poterunt eisdem ac ipsorum unicuique assignari ex redditibus aliquorum abbatiatuum magni valoris certis congregationibus super unitorum.

+ Et quod domini de Rota sub ofitiorum ipso facto privatione nichil pro propine recipiant nisi tantum quod ad plus valeat duos ducatos auri de camera, et pars plus dans ipso facto perdat jus quod habet in causa et illud accrescat parti alteri. Et hoc idem incurrant dicti penitentiarii. Et si penitentes voluerint gratis dare aliquid, illud reponatur in quadam arcula ad opus fabrice sancti Petri.

+ Et quod scriptores apostolici nihil percipiant quam instituta Nicholai [V] in quadam bulla, et si contra fecerint non absolvantur a censuris in bulla contentis et sic precludetur iter delinquendi.

+ Et quod gabelle de Ripa diminuantur pro medietate et sic fiet res gratissima Romanis, et nichilominus tantundem utilitatis ex gabella resultabit, quia dum gabella erit diminuta, multo plures quam nunc venditores per flumen Tyberi portabunt victualia, quae nunc propter gabelle excessum non vehuntur, et quod dicta gabella non arrendetur, sed pro ipsa exigenda ponantur collectore, qui de exactis redant rationem magistro domus Vestre Beatitudinis; nam dum gabella arrendatur, illi, qui ipsam arrendant, maxime vexant illos, qui victualia vendenda deferunt.

Demum multa imposita a Leone [X] decreta et officia militum scutiferorum et preter solitum numerum cubiculariorum et ofitia de Ripa evanescant et dissolvantur, nam fere totum patriomonium absorbent.

+ Et quod fiscus non audeat excedere in suo ofitio quod tantum consistit in denuntiando et instando.

[A tergo] Transcripta a quodam memoriali per rev. dom. Matheum card. Sadunens. prima martii Rome ordinato, scripto tamen per me abbatem [B. del] Lauro.

Orig. nel *Cod. Vatic. 3924 I*, f. 204 della Vaticana.¹

¹ Le linee e croci nel margine sono nell'originale e provengono certo da Adriano VI.